



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Antidota Evangelica contra horum temporum hæreses

Stapleton, Thomas

Antverpiae, 1595

42. Pater, si vis, transfer calicem istum à me.

urn:nbn:de:hbz:466:1-39546

& doctissimum Bernardum sub nomine Canonistarum infectans, Antichristi mancipium vocat: Sensum eius allegoricum proteruum ludibrium verbi Dei, & sacrilegum Scripturę contemptum nuncupat. Sed nullo argumēto, ratione nulla allegoriam refutat. Ita conuictator maledicus, & impurus rabula, bacchati & furere nouit: solidis argumentis alicuius falsi conuincere non nouit. Tamen autem allegoria minus propria & accommodata esset, non tamen qui ea legitime utitur (nam ad rem ipsam quod attinet, Calvinisticus iam in Anglia clerus duplicem iurisdictionē sine vllō scrupulo imō magno cum fastu retinet.) vel insultat Dei verbo, vel ludibrio eoque proteruo insultat, vel sacrilego contemptu sacra Dei oracula lacerat. Schemata hæc sunt spiritus maligni & mendacis qui in Caluino loquitur.

42. *Pater, si vis, transfer calicem istum à me.*

QUIA hic locus videbatur Arianis fauere, utpote qui, si de morte imminente intelligatur, diuinitati Christi derogare videatur, & quia alioqui indignum videtur quod Christus mortem timuerit, quam hactenus lætenter adijile visus est, sed & charitati eius in Deum detrahere putari posset, quum multi martyres ex maxima in Deum charitate mortē intrepide adierint, multi interpretes, etiā veteres, non mortem temporalem imminentē, sed aliud quiduis Christum hic deprecando exhorruisse docent: ut vel Apostolorum scandalum, vel Iudæ flagitium, vel Iudæorum reiectionem, vel persecutorū suorum pœnas, vel denique suorum infirmitatem & dispersionem quia eos paruulos relinquebat, que
omnia

omnia in hunc locum Hilarius, Hieronymus, Ambrosius magis coniectando quam asserendo tradunt. Basilius futuram plurimorum incredulitatem Christum deprecatum fuisse affirmat. Hæretici hodie & Calvinus maximè, ut doceât Christum non aliter descendisse ad inferos, quàm quòd anima eius pœnas infernales passionis suæ tempore subiret, totum hunc locum non de mortis temporalis timore, sed de mortis æternæ horrore, summa cum impietate ac blasphemia exponunt. Ad illa verba, *Cepit pauere & tædere & mæstus esse. Vnde (inquit Calvinus) Christo mæror & anxietas & formido, nisi quia in morte tristius aliquid & magis horribile concepit quàm separationem animæ & corporis? Et paulo pòst. Non mortem horruit simpliciter quatenus transiens est è mundo, sed quia formidabile Dei tribunal illi erat ante oculos. Quare nihil mirum si horribilis exitij abyssus metu & anxietate duriter eum cruciauit. Rursum ad illa verba, *Tristis est anima mea usque ad mortem: Animum (inquit) filij Dei mors per se non cruciasset; nisi cum Dei iudicio sensisset sibi esse negocium. Deinde ad hæc verba, Pater, si vis, &c. ita scribit. Quaritur quid orando Christus profecerit. Apostolus ad Heb. 5. dicit exauditum fuisse à suo metu (sic enim legi vult, non pro sua reuerentia) Id porro non quadraret, si mortem simpliciter timuisset Christus, quia ab ea liberatus non fuit. Vnde sequitur, grauioris mali timore ad deprecandam mortem fuisse adactum. Nempe quum iram Dei sibi proposuisset, quam videt, quatenus ad eius tribunal totius mundi peccatis oneratus se sistebat, necesse illi fuit profundum mortis abyssum exhorrescere. Hæc ille. Mox huius diri & insoluti horroris certè argumentum fuisse ait sudorem Christi sanguineum, quem statim Lucas commemorat. Si cui enim mortis timore hoc contingat (ait Calvinus) puillo ac mulibri eum animo esse dicemus. Hæc in hunc locum Calvinus. Sed**

N n 4 in

Lib. 4.
contra
Eunomium.In Matth.
26. ver. 37
Caluini in
Christum
doctrina
blasphema.

Ver. 38.

in Institut. sua lib. 2. c. 16. num. 10. & seqq. hanc suam blasphemiam luculentius exponit. Ait enim hanc Christi in horto tristitiam exordium fuisse descensus eius ad inferos. Tunc enim cum inferorū copijs & aeternae mortis horrore confectis manibus luctatū fuisse: tūc diros in anima cruciatus dānati ac perditū hominis pertulisse: tunc pēnas omnes à damnatis expetendas Christum in anima pertulisse, hoc vno excepto, quod non poterat in illis detineri: tunc denique Christum orasse, non vt immunis esset à morte, sed ne absorberetur vt peccator, quia formidabilem illam abyssum sentiebat, se à Deo derelictum & alienatum esse, omnia irati Dei signa expertus est, maledictionem & iram Dei timuit, in quo timore diros & horribiles cruciatus perpeffus fuit, videns se ad tribunal Dei reum stare nosra causa. Hæ sunt hoc loco Caluini & aliorum hereticorum hodie blasphemie. Ad quas refutandas tria sunt explicanda. Primū, quid Christus timuerit & deprecatus fuerit: secundò quomodo: tertio, quare.

Ad primum quod attinet, Christus propter solam mortē temporalem imminentē maestus fuit, patrem orauit, in agonia factus sanguinem sudauit. De tristitia sua dixit Christus: *Tristis est anima mea vsque ad mortem*. j. ita tristis vt parum absit à morte, nempe de qua paulo antè dixerat. *Filius hominis secundum quod definitum est vadit: veruntamen ve homini illi per quem traditur, scilicet ad mortem temporalem.* Quid deprecatus fuerit, oratio ipsa loquitur: *Transfer à me calicem istum.* Nempe de quo postea dixit Petro percutienti gladio. *Calicem quem dedit mihi Pater, non vis vt bibam illum?* Deinde si Christus orans, *Transfer à me calicem,* intellexit iram & maledictionem Dei ne absorberetur vt peccator, tunc in verbis sequentibus, *Non mea voluntas fiat, sed tua,* intelligendum est, voluntatem Dei pa-

Christus
quid de-
pre. atus
fuit.
Conse-
quentia
horrenda
sed ne-
cessaria ex
Caluini
doctrina.

tris fuisse, Christumque ei sese conformasse, ut Christus maledictionem & iram Dei incurreret, eaque absorberetur ut peccator, ut profundam mortis abyllum sentiret, ut damnati ac perditii hominis cruciatus non solum exhorresceret, sed etiam pateretur. Hæc enim omnia Christum & timuisse & deprecatum fuisse Calvinus vult. Non nisi ergo mortem temporalem timuit, eamque deprecatus est.

Quod quomodo fecerit, nunc explicandum. Nempe voluntate naturali, non deliberata. Habuit Christus affectus humanos & naturales, sed non ut nos involuntarios, aut qui rationem præuenirent, sed quos liberè in se suscepit quando voluit & quantum voluit; quod multis verbis perspicuè docet SS. Patres, Augustinus tract. 49. in Ioannè, & de Ciuitat. Dei lib. 14. cap. 9. Gregorius Moral. in Iob lib. 3. cap. 13. Hieron. in cap. 26. Matth. Sic de Christo dicitur Ioan. 11. *Infirmuit spiritu, & turbauit se ipsum.* Sic Christus hoc loco, quia voluit, *cæpit contristari & maestus esse*: & morte imminente cum omnibus suis pœnis atque ignominijs ante oculos suos liberè posita, naturaliter illam timeret, dolet, ac deprecatur: sed voluntate deliberata, quæ mortem illam cum omnibus suis circumstantijs (maximè respectu finis, quod esset obedientiæ opus & redemptio mundi) prorsus accepit. Verba igitur illa, *Pater mi, transfer à me calicem istum*, non continent votum abruptum & inconsideratum, & orationem non meditatam, ut impius Calvinus ad hæc verba scribit, sed voces sunt voluntatis naturalis, quam hic Christus meditatè & liberè exercere voluit: idque has ob causas: primum, ut in parte quoque rationali non solo corpore pro nobis pateretur: deinde ut suam tum in nos cha-

Quomodo Christus mortem deprecatur.

ritatem, tum in Patrem obedientiâ clarius ostenderet. Nempe facta omnium & singulorum quæ pati debuit apprehensione viuacissima & liberissima, ex illa seipsum turbare, affrigere, & vsque ad sanguineas guttas naturam commouere atque percellere voluit.

Cur mortem Christus exhorruit.

Cur autem morte ante oculos ad viuum posita tam vehementer eam exhorresceret, (quod loco explicandû diximus) multæ rationes afferri possunt. Quatuor adfert Cornelius Iansenius. Primam, passionis generalitatem, quia ab omni hominû genere & in omnibus corporis membris, & in omnibus quib⁹ potest homo pati, passus est. 2. passionis genus & qualitatem, quæ erat crucifixio. 3. complexionis nobilitatem, quæ dolores omnes magis reddidit sensibiles. 4. doloris puritatem, omni videlicet consolatione spoliatam: quibus addi possunt exactissima futurorum omnium dolorum scientia; item summa mortis indignitas, propter personæ suæ summam excellentiam, de qua Paulus dixit, *Recogitate eum qui talem*

Heb. 12.

sustinuit à peccatoribus aduersus semetipsum contraditionem; deinde & summa persecutorum ingrati-

Ioan. 10.

*do, quam ipse Christus considerans dixit: Multa bona opera operatus sum inter vos, propter quod eorum vultis me interficere? Hæc talia erant vt eorum viua & exacta consideratio sudorem sanguineum naturaliter elicere potuerint. Alius ille timor maledictionis & iræ Dei quem blasphemè ponit Calvinus, in Christum cadere non potuit, dicente Propheta de Christo: *Prouidebam Dominum in conspectu meo semper. à dexteris est mihi, ne commouear.* Vide contra has Caluini blasphemias multo plura suprâ ad Matth. cap. 27. ver. 40. & infra ad Ioan. c. 12. ver. 27.*

IN